

giltima acquisitione respectu Acquirentis. III. Duo eaque vicina pradia, quorum alterum alteri præstet utilitatem. His addunt. IV. causam perpetuam.

57 Quod ad primum attinet, constituitur aliquando servitus à Judice; leg. 22. §. Famil. Eriscund. ut plurimum vero à privato. Hic ut legitime constituat servitutem, debet habere dominium irrevocabile prædii; qui enim revocabile habet dominium, vix in sui præjudicium servitutem constituere valet. Confer Stryk in usu modern. Pandect. lib. 8. tit. 1. §. 10. Tum habere debet dominium totius rei. Rei etenim communi nec pro parte sua imponere dominus potest servitutem, l. 2. ff. de serv. l. 6. §. 1. ff. comm. præd. Addi Donell. comment. 61 jur. civil. lib. 11. cap. 9. lib. D. sequent. & liberam de iure potestatem disponendi habere debet. Fit inde, quod proprietarius non aliter, quam cum consensu usufructuarii, imponere servitutem potest fundo usufructuario, per leg. 15. ff. de usufructu, ubi pro Nequidem legi debet Equidem, ut leg. 6. eod. declarat Bynkersboek lib. 3. oberv. 11.

62 Quod vero concernit secundum, de jure Romano tantum quilibet sibi servitutem acquirere poterat; leg. 5. Cod. communi præd. Sed aliter hodie. Vide Stryk in usu modern. Pandect. commun. præd. §. 5. Schilt. exercit. 18. §. 35.

63 Acquiritur ultima voluntate, adeoque statim à morte testatoris transit; leg. 19. §. 1. ff. quemadmodum servit. amitt. Inter vivos per expressas conventiones accedente in affirmativis quasi traditione, seu patientia, & usu, vel inductione in prædium. Ipso facto, seu tacita voluntate non facile constituitur; leg. 36. ff. de servit. prædior. urban. leg. 1. ff. de servit. legat. Consule Herrium, dissert. de servit. facti. constituit. nisi usus rei legatæ fortæ inutilis; leg. 30. ff. de servit. præd. urban. leg. 7. pr. leg. 10. C. comm. præd.

66 Acquiritur itidem præscriptione; Si contra ipsum dominum possidentem, sine titulo servitus exercetur, accedente scientia & patientia ejus; leg. 1. pr. Si servit. vind. leg. 2. C. de servit. Tempus immemorabile olim vice tituli erat; leg. 1. in fin. leg. 2. princ. §. 5. 6. & 7. leg. 23. in fin. ff. de aqua, & aqua pluvi. arcend. Jure novo sufficit longissimi temporis præscriptio. Si à non domino alteri constituta est bona fide accedente, & titulo etiam 10 vel 20. annis acquiritur; leg. 2. in fin. Cod. de præscript. longi temp. Sed in discontinuis, ut plurimum immemorabile tempus hodie desiderant, quod per errorem in quibusdam locis introductum; Str. k. in usu modern. Pandect. tit. de servit. §. 6. Muller. ad Struv. exerc. 13. thes. 39. lit. K.

71 Quoad tertium inter duo prædia desideratur vicinia; leg. 39. ff. de serv. præd. urban. leg. 5. ff. de serv. præd. rust. ut non semper magis immediata esse debeat, nisi quam natura rei postulat; leg. ultim. ff. de servit. præd. rustic. leg. 1. leg. 14. ff. de servit. præd. urban. Franzk ad tit. ff. de servit. num. 28. & seq. Adde Donell. Commentar. Jur. civil. lib. 17. cap. 2.

73 Requiritur præterea, ut alterum alteri præstet utilitatem, quæ non tantum ex commodo, sed etiam luxu civitatum aucto ex amonitate æstimatur, ob quam etiam vicinis sæpe interesse potest; leg. 15. ff. de serv. leg. 3. §. 1. ff. de aqu. quod. & assisto. Noodt. lib. 1. probabil. jur. capit. 2. præsertim in locis, in quibus voluptas in prædio est, in quibus meliorem prædiorum causam faciat; leg. 6. ff. de servit. præd. rust. Id vero ubi non sit, non est servitus realis; leg. 8. princ. ff. de servit. Præstat autem utilitatem ordinare omnibus fundi partibus; leg. 23. §. 3. ff. de servit. prædior. rust. Similiter ubi indefinite concessa totus fundus servit; leg. 21. eod. Civiliter tamen alter servitute uti debet; leg. 9. ff. de servit. Adeoque legatarius audiendus, si hæres per certam partem fundi velit servitutem assignare; leg. 26. ff. de servit. præd. rust. Aliquando etiam per arbitros hæc res determinatur. Confer. 80 Mev. part. 3. dec. 372.

81 Notandum vero, quod in utilitas est præstanda, ut alterum prædium aliquid patiat, aut non faciat; De jure enim Romano nulla in faciendo consistit ser-

vitutis; leg. 15. in fin. ff. de servit. Promissio hæc operatur obligationem mere personale, quæ tertium possessorem non stringit leg. final. in fin. ff. de contro. emp. Adi Stryk in usu modern. Pandect. tit. de servit. §. 3. Num autem moribus servitus in faciendo consistere queat, vide Titium de servit. in faciend. consit.

Reliquum est, ut de quarto disseramus. Requiritur servitutes causam perpetuam, seu naturalem; leg. 28. ff. de servit. prædior. urb. quia servitutes natura sua sunt perpetuæ. Admissæ vero fuerunt jure prætorio ex æquitate contra servitute uti, nisi ad tempus fuerit constituta; leg. 4. ff. de servit. Quin & hodiernis moribus non amplius hoc quantum requisitam in usu est. Qua de causa servitus foraminis hodie datur; Stryk in usu modern. tit. de servit. prædior. urban. §. 18.

Effectus constitutæ servitutis est à parte servientis prædii, quod nihil possit facere in præjudicium dominantis, leg. 14. ff. de præd. rustic. Omnia concedere debeat, sine quibus servitus exerceri nequit; leg. 20. §. 1. ff. de servit. præd. urban. A parte dominantis; quod perpetuo possit servitute uti, nisi ad tempus fuerit constituta; leg. 4. ff. de servit. non vero aliis rursus concederes; leg. 44. ff. Locati, aut ad prædii necessitatem eam extendere; leg. 24. ff. de servit. præd. rust. quatenus prædio servienti inde noceret; dist. leg. 24. Pactus tamen plus concedi potest, quam servitutis ratio permittit; leg. 33. ff. de servit. præd. rustic. Noodt lib. 1. probabil. cap. 31. E

SIGILLUM.

SUMMARIUM.

1. Sæpe pro annulo, & annulus pro sigillo usurpabatur antiquitus.
2. Sigillorum usus fuit antiquissimus penes Principes pro jurisdictione communicanda subditis per annui traditionem.
3. Immo usque ab origine mundi hoc annulus pro obsignando fuisse tradunt multi.
4. Sigilli nomen unde deducatur.
5. Sigillum quid sit.
6. Sigillum debet esse tale, ut deducatur in notitiam sigillantis.
7. Et si continet imaginem, debet imago esse conformis originali.
8. Sigillum dividitur in authenticum, in non authenticum, & quale sit utrumque.
9. Quatuor sunt, quibus redditur sigillum vacillans, ac detrahitur ejus fidei; & assignantur usque ad n. 12.
10. Sigillum dividitur insuper in publicum, & privatum, & quale sit utrumque.
11. Sigillum probabilius non plene probat, nec plenam facit fidem sine subscriptione sigillantis in testamentis scriptis, sicut & in aliis casibus, ubi agitur de magno præjudicio, aut de Jure, vel consuetudine requiritur subscriptio.
12. Opposita autem sententia est etiam probabilis.
13. Scripturæ, seu instrumenta, quæ habent sigillum authenticum, seu publicum, plene probant.
14. Scripta autem sigillo privato munita probant quidem, & valent in præjudicium illorum, qui ea scriperunt; Non vero ad commodum eorum, nisi ab adversario fuerint approbata.
15. Testamenta, privilegia, & hujusmodi, in quibus sigillum est de solemnitate, & substantia actus, absque dicto sigillo non habent vim probandi.
16. Extra autem dictos casus, ac regulariter loquendo, sigillum in instrumentis ad substantiam actus non adhibetur, sed solum ac faciliorem ejusdem actus probationem.
17. Sigillans scripturam videtur fateri omnia contenta in ipsa.
18. Sigillum cum propriis insignibus habere debent omnia

Collegia, Conventus, Prælati, Abbates, Archiepiscopi, & Superiores omnes, ac Officiales, & eo amantur debent pro scripturis authenticis.

22 Sigillo auro, vel argenteo uti non possunt Regulares.

23 Minister Generalis O. S. P. N. Francisci de Obervatione legitime usus fuit, & uti potest sigillo cum inscriptione Minister Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum.

24 Afferuntur ad id Decreta.

25 Addit. ex aliena manu, ad num. 33.

Sigillum pro annulo, & annulus pro sigillo usurpatum fuisse antiquitus ex Tacito, & aliis probat Cironius ad tit. De his, quæ sunt à majori parte capituli, & patet etiam ex utroque Jure, ut in cap. In nomine Patris n. dist. 73. & in leg. Signatorius 74. ff. de verbor. signific. & leg. Argumento 25. §. Ornamenta. ff. de auro, & argento legato. Idque etiam docent plures alii Doctores cum Cardinali Petra tom. commentar. ad constitut. Apostol. §. 3. Proemiali num. 48.

Sigillorum usus fuit antiquissimus penes Principes pro Jurisdictione communicanda subditis per annui traditionem, ut patet ex lib. Estier, cap. 3. ibi: "Tullius ergo Rex annulum, quo utebatur, de manu sua, & dedit eum Aman filio Amadathi de progenie Agaghosti Judoæorum, dixitque ad eum, argentum, quod tu polliceris, tum sit, de populo age, quod tibi placet. Et infra: Literæ signatæ ipsius annulo missæ sunt per Cursores Regis ad universas provincias." Et ibid. cap. 8. expresse habetur: Scribitis ergo Judæis sicut vobis placet ex Regis nomine signantes literas annulo meo. Et 3. Reg. cap. 31. habetur quod Jezabel Achabî Samariæ Regis uxor, literas, quibus Naboth injustæ mortis tradi imperabat, regio sigillo obsignavit, ibi: Scripsit itaque literas ex nomine Achab, & signavit eas annulo ejus, & misit ad majores natu, & optimates, qui erant in civitate ejus.

Immo usque ab origine mundi hoc annulus pro obsignando fuisse constat ex Genes. cap. 38. ubi habetur, quod Judas Thamari annulum dederit pignoris, & fidei loco. Nam si vocem hebraicam attendamus, qua fuit usus Moyses isidem, quæ fuit Cotam, sigillum significat, & ob hoc à Moyse fuit verbum illud usurparum, ut tenet Polyd. Virg. de invent. rerum, lib. 8. cap. 2. relat. ab Eminentissim. Cardinal. Petra loc. cit. num. 51.

Sigilli nomen à parva statua derivari putat The-saur. lib. 2. quest. forens. 100. num. 4. & sequenti. eo quod parvæ statuæ in ipsis sigillis adhibeantur: At vero alii diminutivum nomen à signo derivari prætendunt, nam in cognitionem alterius, scilicet curvis est sigillum, deducit; ex Gloss. in leg. Pediculis 34. ff. de auro, & argento legat. Hoping. de Jure sigillorum, cap. 1. §. 1. num. 6. Card. Petra loc. cit. num. 47. Unde sigillum impretariarum accipitur pro imagine, quæ ceteræ impressa literas obsignamus. Sicque in hac acceptioe dicuntur literæ sigillatæ, id est, sigillo apposito clausæ, obsignatæ, seu munitæ. Calepinus, verb. Sigillum.

Sigillum igitur est signum, seu signaculum certis notis impressum, leg. Ad testium 22. §. Signum, ff. Qui testamenta facere possunt, leg. Omnibus 1. §. 2. leg. Tabularum 2. §. 4. ff. Testamenta quemadmodum aperiantur, Hoping. citat. cap. 1. §. 3. Card. Petra. loc. cit. num. 75.

Et sigillum debet esse tale, ut deducatur in notitiam sigillantis, arg. leg. Stigmata 3. cod. de Fabriciis. Et si continet imaginem, debet imago esse conformis originali; alias si sit valde difformis, redderetur scripturæ suspecta de falso. Scaccia de Judic. lib. 1. cap. 64. num. 17. Qua ratione Pontifex Innocentius III. arguit falsitatem privilegii, quia sigillum non continebat figuram sigillantis, cap. Inter dilectos 6. §. Sed contra privilegium, de fide instrum. ibi: "Unde non Episcopi, sed Imperatoris videbatur fuisse sigillum, quod in una medietate Casaris imaginem exprimebat, & in altera medietate præsumebatur, vel filii, vel conjugis imaginem habuisset." Gonzalez ibidem, Hoping. loc. cit. cap. 8. §. 1. Borel. lib. 2. de Magist. edit. cit. 3. num. 13. Card. Petra loc. cit. n. 77.

Sigillum dividitur in authenticum, & non authenticum. Sigillum authenticum est, quod multorum auctoritate comprobatur est, seu quod est certæ fidei: Istud enim vocabulum authenticum ponitur pro re certæ fidei, seu quæ multorum auctoritate comprobata est, ut notant Spigelius, & Joannes Calvinus in lexico Juris verb. Authent. Sigillum non Authenticum: est contra est illud, quod non est certæ fidei, sed ejus fides vacillat. Colligitur ex cit. cap. Inter dilectos 6. de fide instrument. ubi Abbas num. 4. ex ipso textu notat, quod quantum sunt, quibus redditur sigillum vacillans, ac detrahitur ejus fidei.

Primo scilicet, quando sigillum non congruit in sculpturis dignitatis sigillantis, non enim potest rationabiliter præsumi sigillum esse illius, cui adscribitur, si sibi in imagine insculpta non convenit, ut expresse declaratur in cit. cap. Inter dilectos.

Secundo quando literæ sigilli sunt ita corrossæ, vel sculpturæ ita consumptæ, ut ex eis oritæ æquivocatio, nec aliter possit certificari sigillum esse illius, cui adscribitur, cit. cap. Inter dilectos.

Tertio quando sigillum patitur ita enormem fracturam, ut ex residuo non possit clare cognosci, cujus sit. Sic colligitur ex cit. cap. Inter dilectos.

Quarto quando sub sigillo charta reperitur perforata, & per glutinum novæ ceræ sigillum illud ipsis chartæ connexum, ut expresse habetur in cit. cap. Inter dilectos, & notant ibi Doctores passim.

Sigillum dividitur insuper in publicum, & privatum. Sigillum publicum est illud, quod publica auctoritate nititur, quia nempe retinetur à personis publicis, v. gr. Principe, Magistratu, Episcopo, Capitulo, Judice, & hujusmodi pro communicandis roboris scripturis ad suam jurisdictionem, seu officium pertinentibus, de quibus sigillis loquuntur Doctores ad c. Scripta vero authentica 2. de fide instrum. & Glossa ib. verb. Sigillum. Sigillum autem privatum est illud, quod apponitur à persona privata ad secretum servandum, & notionem scribentis excitandam. Sic in re Communis.

Sigillum probabilius non plene probat, nec plenam fidem facit sine subscriptione sigillantis in testamentis scriptis, sicut & in aliis casibus, ubi agitur de magno præjudicio, aut de Jure, vel consuetudine specialiter requiritur subscriptio. Covarrubias præd. qq. c. 2. n. 9. Mascard. de probat. conclus. 1309. n. 7. Reiff. lib. 2. Decr. tit. 22. num. 94. Bartolus in proavio, ff. num. 8. vers. Item quarto, si est solum Sigillum &c. allegans ad id l. Ad testium, §. Si quis ex testibus, ff. de Testam. ubi dicitur: Si quis ex testibus nomen suum non adscripserit, verumtamen signaverit, pro eo est, utque si adhibitus non est, juncto Summario ibidem est eodem Bartolo desumpto expresse dicente: Requiritur signatio, & subscriptio, & alterum sine altero non valet. Speculator tit. de instrum. editioe §. Instrumentum ergo publicum, numer. 19. vers. Item quod non est signatum: Engel lib. 2. Decr. tit. 22. num. 17. & alii apud Mascard. loc. citat. n. 6. Si enim solo sigillo plena fides præstanda esset, facile fraus & dolus committi posset.

Opposita autem sententia, quod nempe sigillum, ubi de ipso constat, probet, & fidem faciat absque propria subscriptione sigillantis, nisi aliud legitibus, vel consuetudine constitutum fuerit, est vere probabilis, & eam expresse tenent Innocentius in cap. Scripta 2. in fine de fide instrumentor. Menoch. l. 2. de Arbitr. Judic. caus. 113. num. 6. Decius in c. Post concessionem, n. 21. de probat. Covarrubias loc. cit. num. 9. circa finem, & alii apud Mascard. c. conclus. 1309. num. 4. arg. cit. c. Scripta 2. de fide instrum. ubi ista duo æquiparantur, & alternative privilegii dicuntur, nempe scripta per manum publicam facta, & scripta habentia sigillum Authenticum, ibi: "Nisi per manum publicam facta fuerint, ita quod appareat publica, aut authenticum sigillum habuerint, per quod possint probari." In alternati-

vis autem sufficit alterum adimpleri, textu expresso in cap. In alternativis 70. de reg. juris, ibi: "in alternativis... sufficit alterum adimpleri." Et concordat l. In eo 110. §. 3. ff. de regul. jur. ibi: Ubi verba conjuncta non sunt, sufficit alterum esse factum.

Vid. Addit. omiss. in fin. tom. pag. 493.

16 Scripturæ seu instrumenta, quæ habent sigillum authenticum, seu publicum, plene probant, c. Scripta 2. de fide instrum. ubi statuitur, quod alicujus firmitatis robur non habeat instrumenta, si testes inscripti decesserint, nisi per manum publicam facta fuerint, aut authenticum sigillum habuerint, & tenent Glossa ibid. verb. Authentica: Abbas in Summario, Barbos. in Collectan. num. 1. Reiff. loc. cit. num. 89. Masc. cit. concl. 1309. num. 1. cum plurimis aliis ibi citatis.

17 Scripta autem sigillo privato munita probant quidem, & valent in præjudicium illorum, qui ea scripserunt; l. Generaliter, cod. de non num. pecun. l. Publica, §. fin. ff. Depositi. Non vero ad commodum eorum, nisi ab adversario fuerint approbata, cit. l. Publica, §. fin. ff. Depositi, l. Instrumenta domestica, cod. de probat. Gloss. in cit. cap. Scripta 2. de fide instrum. verb. Authentica: Bartolus in Summario cit. l. Publica, Reiffenstuel loc. cit. num. 90. Mascardus cit. conclus. 1309. num. 1. & A. ac seq. & alii plures.

18 Testamenta, privilegia, & hujusmodi, in quibus sigillum est de solemnitate, vel substantia actus, absque dicto sigillo non habent vim probandi, Menoch. lib. 2. de Arbit. jud. cap. 113. num. 13. Felin. in cap. Inter dilectos 6. num. 5. de fide instrum. Reiff. l. 2. n. 97. & alii, per text. in leg. Ad testium, §. Si quis ex testibus, ff. de testament. & cit. cap. Inter dilectos: ubi recte advertitur, quod si ob enormem fracturam sigilli vacillat fides privilegii, tanto magis vacillabit, si sigillum penitus deficiat, seu nunquam appositum sit.

19 Extra autem dictos casus, ac regulariter loquendo, sigillum in instrumentis ad substantiam actus non adhibetur, sed solum ad faciliorem ejusdem actus probationem. Sic Innocentius in cit. cap. Inter dilectos 6. verb. sigillum, de fide Instr. Abbas ib. n. 3. Felin. ib. num. 5. Reiffenst. loc. cit. n. 98. Menochius l. c. car. 113. n. 14. & 15. cum Hostiensis & Card. ibi citatis, & alii plures, per text. in l. Contrafus 17. cod. de fide instrum. ubi ad valorem instrumentorum plus non requiritur, quam quod "subscriptionibus partium confirmata, & si per Tabellionem conscribantur, etiam ab ipso completa, & postremo à partibus absoluta sint" hoc est, subscripta, ut explicat Glossa ib. verb. Absoluta.

20 Dicitur autem, sed solum ad faciliorem ejusdem actus probationem, quia sigillans scripturam, contenta in ea præsupponit vera, & videtur fateri omnia contenta in ipsa, cum sigillum sit confirmatio quædam eorum, quæ in scriptura continentur, & probet consensum, Rota p. 10. recent. dec. 200. n. 12. Alexander cons. 147. n. 6. & 7. lib. 2. Card. Tusch. lit. S. conclus. 239. num. 1. cum Bald. & Romano ibi citatis, & alii passim.

21 Sigillum cum propriis Insignibus habere debent omnia Collegia, Conventus, Prælati, Abbates, Archidiaconi, & Superiores omnes, ac Officiales, & eo uti debent pro scripturis authenticis. Conc. Londin. II. c. 29. Vid. Add. omiss. in fin. tom. pag. 494.

22 Sigillo aureo, vel argenteo uti non possunt Regulares. Conc. Nic. ex Arabico c. 76.

23 Minister Generalis Ordinis S. P. N. Francisci de Observantia legitime usus fuit, & uti potest titulo, & Sigillo cum inscriptione: Minister Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum, ut hoc titulo insigniri consuevit à Summis Pontificibus, ut notat Dominicus de Gubernatis in Orbe Seraphico tom. 1. lib. 3. cap. 10. circa finem, & signatur à Leone X. Clemente VIII. Paulo III. Sixto V. Urbano VIII. Gregor. XV. Innocent. XI. & aliis sequentibus, & novissime à Benedicto XIII. const. incip. Universalis Ecclesie regimini: & alia incip. Dilectis filiis: ibi: Dilectis filiis Ministro Generali totius Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci, nec non Generali Ministro Fratrum Conventualium ejusdem Ordinis." Et hoc utraque parte informant jam fue-

rat repetitis vicibus declaratum à Sacra Congregatione Rituum, prout ad literam referunt decreta à supraddicto Dominico de Gubernatis loc. cit. tenoris sequentis.

Religionis S. Francisci.

Cum Procurator Generalis Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci, sex ab hinc annis egre ferret, Ministrum Generalem de Observantia in preteritum usum fuisse, & in presentiarum uti titulo, & sigillo cum inscriptione: Minister Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum, recursum habuit ad Sanctissimum supplicans mandari reformari hujusmodi titulum tanquam non legitime dicto Ministro Generali de Observantia competentem, Et supplicatione per Sanctissimum ad hanc Sac. Rituum Congregationem remissa, Eadem Sac. Congregatio discussionem hujus negotii ad referendum usque de anno 1625. commisit Eminentissimo & Reverendissimo Damiano Cardinali Muto, eorum quo formato dubio de consensu amborum paritum An titulus Minister Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum, quo insignitur Minister Generalis Observantium, sit reformandus? Utraque parte saepe saepe in factis & jure desuper informante, & auditis ad relationem ejusdem Eminentissimi Cardinalis Muti causa acriter in plena Congregatione discussa, Sacra Rituum Congregatio respondit, nihil innovandum, Ministrum Generalem de Observantia legitime usum fuisse, & uti posse titulo, & sigillo cum inscriptione Minister Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum, & ita servari mandavit die 22. Martii 1631.

Religionis S. Francisci.

Religio Minorum Conventualium conquesta est apud Sanctissimum de decreto ab hac Sacra Rituum Congregatione emanato ad favorem Ministeri Generalis de Observantia S. Francisci circa usum tituli, & sigilli Ministeri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum, supplicans tanquam non audita in suis iuribus audiri in Signatura Gratiæ, & mandari Illustrissimo Datario, qui concedat ad hoc supercessionem necessariam.

Ex adverso autem F. Alphonsus de Prato Procurator Generalis Minorum Observantium adiens & ipse cum supradicti libello eundem Sanctissimum supplicavit, quod etiam jure suo Religioni quæsito, tam ex Bullis Pontificis, quam ex notissimo decreto, parte adversa super usu d. Tituli, & sigilli per quinquennium, & ultra saepe audita, & replicante, nemine ex Em. Patrius contradicente, ad sui favorem edito, & etiam impresso, Sanctissimus sua dignaretur huic negotio perpetuum silentium, ut par est, imponere. Et utraque supplicatione per Sanctissimum ad hanc Sacram Congregationem remissa; Eadem Sacra Congregatio unanimi Eminentissimorum Patrum consensu censuit, ex hactenus deductis non esse locum novæ audientie. Et mandavit Secretario alloqui cum Sanctissimo iuxta mentem. Die 12. Aprilis 1631. Feria sexta die 21. Aprilis Ego Secretarius allocutus fui cum Sanctissimo iuxta mentem Sacre Congregationis, & Sanctissimus sua mandavit mihi, ut loquerer, prout fecit, R. P. D. Datario pro imponendo perpetuo silentio == Ita reperitur in Regestis Congregationis Sacrorum Rituum. In quorum fidem &c. Hac die 9. Junii 1682. = Loco Sigilli. = Bernardinus Casali Secretarius. =

24 Sigillum est nota quædam impressum habens nomen, & insigne, vel simul, vel alterutrum ad fidem rei conciliandam; Botlicher. de Jur. sigillor. thesi 8.

25 Dividitur autem sigillum in publicum, ac privatum. Publicum, quod à persona publica in negotio suam privatam rem non concernente ad publicam fidem faciendam adhibetur. Privatum, quod in negotiis privatis Sigillantium adhibetur. Nicol. Honthem. de Art. Notar. lib. cap. 11. num. 29. Gilman. dec. 51. num. 43.

26 Ut autem omnes sigillum maxime privatum rectam, & legitimam faciat probationem, roburque scripture addat, in ejus appositione tria regulariter requiruntur à Doctoribus, quos allegat Hoping, de Jur. Sigillor. capit. 11. num. 7. Primum requisitum est, ut in scriptura, 30

sen subscriptione exprimat, cujus sit sigillum. Secundum à quo sit appositum; & tertium propter quod sit appositum, sive ex qua causa adjectum. Si enim hæc non appareant, nec ex circumstantiis possint colligi, sigillum nihil operatur.

31 An ad validitatem instrumenti à Notario confecti requiratur sigillum ipsius? Prævaluit opinio affirmativa, ut videre est apud Covarr. pract. resol. tom. 2. cap. 20. num. 5. Moller. l. 4. Semest. cap. 15. (Impresentiarum plurimum conducunt quæ lit. A pag. 136. 232. 236. lit. C pag. 18. lit. I pag. 179. col. 2. in fin. exponuntur; Vid. verb. Notarius, verb. Probatio, verb. Inter probationes: ibique leg. 1. tit. 18. p. 3. lit. S pag. 255. atque lit. T pag. 46. col. 2.)

SIGILLUM SACRAMENTALIS CONFESSIONIS.

SUMMARIUM.

- 1 Sigillum Sacramentalis Confessionis quid sit.
- 2 Sigillum Sacramentalis Confessionis obligat Confessarium ad celanda peccata in Confessione detecta triplici jure, scilicet naturali, divino, & humano, seu ecclesiastico.
- 3 Ostenditur, quod obligat jure naturali.
- 4 Item, quod obliget jure divino.
- 5 Item, quod obliget jure humano, seu ecclesiastico.
- 6 Hinc obligatio servandi sigillum sacramentale, tam stricte ligat, & urget, ut in nullo excogitabili casu directe, vel indirecte revelari possit, quomvis salus proprie vite, immo totius mundi inde penderet; quin immo licet per hoc omnium hominum damnatio impediatur posset.
- 7 Ad sigillum sacramentale qui teneatur ultra Confessarium, ad n. 8.
- 9 An inveniens charitatem, in qua sunt descripta peccata persone cognita, teneatur ad sigillum sacramentale.
- 10 Talis inventor tenetur ad sigillum naturale sub mortali, si illa charta contineat gravia; & diffamantia peccata.
- 11 Si aliquis peccat, vel aliis impeditur confiteatur Confessario præseni per scripturam, & tunc durante actione Sacramentali, aliquis legat illam scripturam, is omnino ad sigillum sacramentale tenetur.
- 12 Ad sigillum sacramentale tenetur Prælati, seu Superiori, cui Penitent, vel Confessarius, manifestavit pro licentia absolutionis obtinenda peccatum reservatum, quomvis pro absolutione remittat ad alium.
- 13 Superior, seu Confessarius, qui postea ad Superioritatis gradum fuerit assumptus, nullo modo uti possit ad exteriorem gubernationem ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confessione habuit, & dantur ad id decreta.
- 14 Hinc Confessarius, qui ex Confessione taciti conspirationis contra se, novit sibi parari insidias in itinere à se subeundo, sibi parari venenum in vino à se bibendo, & hujusmodi; si non arripendo tale iter, non bibendo tale vinum, & hujusmodi, sequeretur aliqua suspicio apud alios socios dictæ conspirationis de peccato confesso, qui periculum damni dicti penitentis, tunc tenetur dictus Confessarius eisdem se Deo commendare, & tale statum iter arripere, tale vinum bibere, & hujusmodi.
- 15 Secus autem si in similibus casibus tales concurrant circumstantiæ, quod nulla directe, aut indirecte oriatur suspicio peccati conspirationis confessi.
- 16 Unde post supra allata decreta jam non videtur practice probabilis sententia doctentium Confessarium ex sola Confessione cognoscentem penitentem suum indignum esse dignitate, & officio, ad quod concurrat, posse ideo illi in electione gratiæ & secreta denegare suum suffragium.
- 17 Afferunt ad id notabile documentum Scoti.
- 18 Confessarius ordinariæ loquendæ, neque de petita, &

obtentis licentia Penitentis potest uti scientia Confessionis, & revocare ipsam Sacramentalem Confessionem.

19 Potest autem id ex gravi quadam causa, & ad bonum finem de expressa, & libera facultate ipsius Penitentis.

20 Sine expressa, & libera licentia Penitentis neque licet Confessario loqui cum ipso Penitente extra Confessionem Sacramentalem.

21 Confessarius, qui in Confessione gravem errorem misit, quid circa id debeat, & possit.

22 Sub sigillo sacramentali cadunt omnia peccata, tam mortalia, quam venialia, & circumstantiæ, & defectus naturales non solum ipsius Penitentis, sed etiam Complicis.

23 Assignantur varii casus, in quibus Confessarius per suas locutiones sigillum frangit.

24 Confessarius se exponit periculo frangendi sigillum, si dicat: prima mulier, quam audivi in Confessione, fuit adultera.

25 Confessarii violantes sigillum Confessionis subjacent gravissimis penis, quæ assignantur, ad n. 26.

26 Penitentia profractione sigilli quoad Regulares que sit.

28 Dicitur pena imposita contra violantes sigillum Sacramentale non sunt lata sententia, sed ferenda.

29 Ut quis propter violationem sigilli incurrat prædictas penas, plura requiruntur: Et primo requiritur, quod sit Sacerdos Confessarius.

30 Alii autem revelantes non subjacent præfatis penis, sed puniendi sunt per judicem pena extraordinaria.

31 Secundo requiritur, quod Confessarius revelet peccata in Confessione Sacramentali sibi à Penitente exposita animo se accusandi, & absolutionem recipiendi; secus autem non.

32 Tertio requiritur, ut Confessarius revelet aliquod peccatum, vel mortale, quod sufficit, si revelet in genere, vel veniale, quod necesse est, ut revelet in specie.

33 Quarto requiritur, ut Confessarius revelet peccatum presumptuose.

34 Quinto, requiritur, ut Confessarius revelet peccatum alicui alteri, quam ipsi Penitenti extra Confessionem, sive ipsi sine ipsius licentia obicitur.

35 Judex in causa violati sigilli sacramentalis est solus ecclesiasticus, minime vero laicus.

36 Ex Judicibus ecclesiasticis cuiquam competat talis causa? An Episcopo, vel Inquisitori?

37 Ut Judex ecclesiasticus instruere possit processum contra Violatorem sigilli sacramentalis, non requiritur licentia Penitentis.

38 Quando Confessarius violator sigilli se reum fateatur, non est opus alia probatione, ad hoc ut possit puniri pena ordinaria.

39 Quando Confessarius dicit se peccatum non ex aliqua Confessione Sacramentali, sed tanquam aliunde sibi notum manifestasse, incumbit ei probare quæ veritas, & modo illius notitiam acquisierit.

40 Quando autem fateatur Confessarius se quidem peccatum ex Confessione retivisse, sed cum licentia Penitentis revelasse, tenetur id probare, si Penitentis ipse sit accusator.

41 Secus autem, si alius sit accusator.

42 Immo etiam si Penitens sit accusator, creditur Confessario, si sit veteroquin optime fame, & integritatis; rectus autem si Penitens sit melioris fame, & integritatis, quàm ipse Confessarius.

43 Si autem ceteris paribus dubium existat, creditur potius Confessario assentiens, quàm Penitenti neganti si licentiam fuisse concessam.

44 Ad probationem violati sigilli sacramentalis sufficiunt etiam testes singulares.

45 Afferuntur quæ novissime ad debitum sigilli sacramentalis custodiam dispositi Bened. XII. ad n. 46.

47 Novæ addit. inseruntur, ad n. 53.

SIGILLUM SACRAMENTALIS CONFESSIONIS est obligatio servandi Secretum in omnibus, quæ in ordine ad absolutionem

nam Sacramentalem Confessario aperiuntur. Est in re communis.

2. Sigillum Sacramentalis Confessionis obligat Confessarium ad celanda peccata in confessione detecta triplici Jure, scilicet naturali, divino, & humano, seu ecclesiastico. Ita Scotus in 4. dist. 21. quest. 2. & Communissima aliorum. Et quidem quod obliget Jure naturali, clare patet, quia natura dictante non est aliis faciendum, quod quisque sibi fieri non vellet, juxta illud vulgatum: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: Nemo autem vellet, quod suum secretum, ex quo aliqua infamiae nota eidem posset inari, manifestaretur, adeoque sigillum Confessionis obligat Jure naturali; alioquin lex naturae de servanda fidelitate, & secreto proximi celando, violaretur.
4. Quod autem obliget Jure divino, clare constat, quia dum Christus Dominus instituit Sacramentum Poenitentiae, praecipitque Confessionem, simul Confessariis arctissimam hanc sigilli obligationem imposuit. Quamvis enim hoc ex nullo textu scripto comprobetur, evincitur tamen ex expressa continuata, & constanti Traditione ab Apostolis ad haec usque tempora. Traditiones autem divinae tantam vim habent obligandi, ac verbum Dei scriptum. Unde Apostolus 2. ad Thimotheum c. 2. praecipit dicens: "Itaque Fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram. In quem locum S. Joannes Chrysostomus sic scribit: Hinc patet, quod non omnia per epistolam tradiderit, sed multa etiam sine literis; eadem vero fide digna sunt, tam illa, quam ista." & Concil. Trid. sess. 4. in decreto de Canonis scripturis sic expresse habet: "Sacrosancta Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus..... Traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes tamquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas, ac continua successione in ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu, ac reverentia suscipit, & veneratur.
5. Quod vero obliget Jure humano, seu ecclesiastico, habetur expresse ex cap. Sacerdos 2. dist. 6. de Penitent. ubi poena depositionis a sacerdotali officio, & perpetuae ignominiosae peregrinationis erat imposita Confessariis violantibus sacramentale sigillum, ibi: "Qui hoc fecerit (sigillum videlicet violaverit) deponatur, & omnibus diebus vitae suae ignominiosus peregrinandum pergat, & cap. Omnis utriusque sexus 12. de poenitentia, & remissionibus." ubi violatoribus sigilli Confessionis constituitur poena depositionis ab officio sacerdotali, ac perpetuae poenitentiae in arcto monasterio peragende, ibi: "Qui peccatum in poenitentiis Judio sibi detectum praesumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agenda perpetuam poenitentiam in arcto monasterium detrudendum. (L. 35. r. 4. p. 1. 6.)"
6. Hinc obligatio servandi sigillum sacramentale tam stricte ligat, & urget, ut in nullo excogitabili casu directe, vel indirecte revelari possit, quamvis salus propriae vitae, immo totius mundi inde penderet: Quinimo licet per hoc omnium hominum damnatio impediri posset. Communissima omnium Catholicorum.
7. Ad sigillum sacramentale tenetur ultra Confessarium etiam sequentes, nempe Interpretes, per quem facta est Confessio. Item Laicus, qui Sacerdotem se fingens Confessionem excipit. Item ille, cui Confessarius sacrilege revelavit peccatum. Item audientes tempore pestis, seu naufragii, Confessionem publicam. Item audientes casu, vel malitiose peccata, dum confitentur. Scotus in 4. dist. 21. q. 2. Rosignol. de Penitent. part. 1. q. 7. art. 22. sect. 2. cum aliis ibi citatis, Reiffenstuel theol. moral. tract. 14. dist. 9. q. 3. num. 36. ubi testatur de communi. Et ratio est, quia notitia ad eos pervenit ex Confessione sacramentaliter facta, adeoque hujusmodi revelatio esset contra reverentiam Sacramenti, & redderet odiosam ipsam Sacramentalem Confessionem.
8. Item ad sigillum probabiliter tenetur, qui per examinem poenitentem ad Confessionem disponit. Item ille, cui poenitens se aperit hodie, ut illum dirigat pro Con-

fessione crastina. Item Doctor consultus a Confessario super aliquo delicto, si ex illo noverit delinquentem. Item ille, cui poenitens jam non potens scribere dictavit sua peccata, postea ex ipsis scripto confessorus. Item ille, cui poenitens dicit se velle confiteri, & propterea illum consultat, an, & quomodo hoc, vel illud peccatum teneatur confiteri: quamvis non illi, sed alteri confiteri velit. Gormaz part. 2. num. 391. La Croix lib. 3. part. 2. num. 1952. cum pluribus aliis ibi citatis, Sporer tom. 3. theol. sacramental. part. 3. cap. 7. q. 3. a num. 848. ad 855. cum aliis ibi allegatis contra alios. Et ratio est, quia licet illa notitia non habeatur in Confessione, nec ex Confessione, habetur tamen per ordinem ad illam, adeoque hujusmodi revelatio esset contra reverentiam Sacramenti, & redderet odiosam ipsam sacramentalem confessionem, unde, ne id eveniat, servandum est ad supradicti sigillum.

Non solum probabiliter, sed certe tenetur quis servare sigillum in casibus hic expositis. Sed quod tenetur ad sigillum certe fateor & ego; an autem ad sigillum sacramentale, vel naturale? non parva est intra Doctores controversia. Hinc ponderet prudens Lector ibi tradita a me num. 10. & 11. & pro aequitate resolvat.

An autem inveniunt chartam, in qua sunt descripta personae cognita peccata, tenetur ad sigillum sacramentale? Variant Doctores, Affirmativam enim sententiam tuerentur Rodriguez, Fagundes, Malderus, & alii plures apud Dian. part. 1. tract. 4. resolut. 112. Navarrus, Graff. Vega, Gormaz, Diana, Tamburinus apud La Croix loc. cit. num. 1953. & probabiliter Sporer loc. cit. num. 857. & alii: Et ratio est, quia talis peccatorum scriptio fit propter Confessionem, & reipsa videtur esse inchoata Confessio, sive Confessionem jam factam gerens: Negativam autem, scilicet inventorem talis chartae non teneri ad sigillum sacramentale, sed solum ad sigillum naturale, defendunt, & quidem probabiliter Bonacina de poenitentia Sacramento, disp. 5. q. 6. sect. 5. punct. 3. num. 7. cum pluribus aliis ibi allegatis, Castropal. Aversa, Illung. Busemb. aliique multi apud La Croix loc. cit. num. 1953. Rosignol loc. cit. num. 17. Reiffenstuel loc. cit. num. 37. Layman, Suarez, Navarr. aliique congestis, Lugo disp. 25. sect. 2. num. 47. & valde probabiliter hanc sententiam appellat etiam Sporer loc. cit. num. 858. & alii plures ipsam expresse tuerentur: Et ratio est, quia illa charta, seu notitia illius non pervenit ad inventorem, nec in Confessione, nec ex Confessione, nec per ordinem ad Confessionem, cum poenitens illam chartam scripserit solum, ut sua peccata sibi manifestet, & memoriam eorum retineat.

Consentiunt tamen omnes utriusque sententiae Doctores, quod talis inventor tenetur ad sigillum naturale, sub peccato mortali, si illa charta contineat gravia, & diffamantia peccata: Quinimo cognitio, quod talia peccata contineat, debet sub gravi ab illius lectione abstinere.

Insuper consentiunt omnes, quod si aliquis murus, vel alius impediens confiteatur Confessario praesentem per scripturam, & tunc durante actione sacramentali aliquis legat illam scripturam, is omnino ad sigillum sacramentale tenetur; tunc enim illis scriptura lecta Confessario, Poenitens est locutus, cum non aliter confiteatur nisi per scripturam.

Ad sigillum sacramentale tenetur Praelatus, vel Superior, cui Poenitens, vel Confessarius manifestavit pro licentia absolutionis obtinenda, peccatum reservatum, quamvis pro absolutione remittat ad alium Confessarium. Sic pluribus allegatis Card. de Lugo disput. 23. sect. 2. num. 34. & 35. Rosignol. loc. cit. num. 12. cum aliis ibi citatis, La Croix loc. cit. num. 1951. cum Suarez, Fagundes, Stoz, Aversa, & aliis ibi citatis, Sporer loc. cit. num. 853. Dicastill. disp. 11. n. 323. dicens id esse certum, quamvis alii contrarium doceant. Et ratio est, quia Praelatus aut Superior, cui casus sunt reservati in hac parte, gerit vices Confessarii, cum quodammodo exercat Jurisdictionem in ordine

ad poenitentium absolutionem; adeoque &c.

13. Praelatus, seu Superior, vel Confessarius, qui postea ad Superioritatis gradum fuerit assumptus, nullo modo uti potest ad exteriorem gubernationem ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confessione habuit. Sic expresse statuit Clemens VIII. in decreto de vasis reservatis die 26. Maii 1594. ibi: "Tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessarii, qui postea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem utantur, &c. Atque ita per quoscumque Regularium Superiores observari mandamus." Hac Pontifex. Et deinde die 18. Novembris 1682. editum fuit in Congregatione Generali Universalis Inquisitionis decretum prohibens: "Ne quis publice, aut privatim doceat, aut defendat licere uti scientia ex Confessione acquisita cum gravamine poenitentis, quamvis secluderetur quaecumque ejus revelatio, & quamvis multo major gravamen ejusdem poenitentis ex non usu sequeretur, mandans etiam universis Poenitentiae Ministris, ut a tali doctrina in praxim deducenda prorsus abstineant." Sic apud Arsdekin tom. pag. 2. 238. & alios passim id referentes.

14. Hinc Confessarius, qui ex Confessione socii conspirationis contra se novit sibi parari insidias in itinere a se subeundo, sibi parari venenum in vino a se bibendo, & hujusmodi, si non arripiendo tale iter, non bibendo tale vinum, & hujusmodi, sequeretur aliqua suspicio apud socios dictae conspirationis de peccato confesso, aut periculum damni dicti Poenitentis, tunc teneretur dictus Confessarius exire se Deo commendare, & tale statum iter arripere, tale vinum bibere, & hujusmodi; quia sigillum sacramentale ob commune bonum fidelium, & reverentiam Sacramenti fortius obligat, quam propria vita servanda, immo & quam salus totius mundi, juxta dicta supra num. 6. In tali enim casu ex circumstantiis indirecte saltem revelaretur Confessio, & frangeretur sigillum, quia socii conspirationis videntes Confessarium post auditam Confessionem non arripere certo statum iter, seu divertere ab ipso jam arrepto, & non bibere tale vinum certo aliis bibiturum, suspicarentur de delicto conspirationis confesso, & possent in seotum irruere, sique cum gravamine Poenitentis redderet odiosa Confessio, adeoque &c.

15. Si autem in similibus casibus tales concurrant circumstantiae, quod ex non arrepto, seu non continuato itinere, & non bibito tali vino, & hujusmodi, nulla directe, aut indirecte oriatur suspicio peccati conspirationis confesso, quatenus nempe socii conspirationis complices confitentem non viderunt, & hujusmodi, tunc dictus Confessarius posset licite iter non arripere, seu jam arrepto divertere, vinum illud non bibere, & hujusmodi, quia tunc Confessarius uteretur Jure suo ad evitandum mortem sine ullo incommodo, seu gravamine poenitentis, cum sic licite salvaret propriam vitam, & impediret poenitentis, aliorumque peccatum, seu occasionem peccati, quod re ipsa non est gravamen, sed beneficium, nec ullam committeret irreverentiam in Sacramentum; cum, ut supponitur, ex dictis circumstantiis nulla directe, aut indirecte possit oriri suspicio peccati confesso. Sic recte cum distinctione, ut supra, docent Diana part. 5. tract. 11. resolut. 46. cum Richardo, Navar. Suario, & Soto, Felix Potestas loc. cit. num. 3219. & seq. Rosignol. loc. cit. sect. 3. num. 12. & 13. La Croix loc. cit. num. 1676. & seq. cum pluribus ibi allegatis, & alii plurimi, & sub data distinctione nostra sententia jam debet esse communis.

16. Unde post allata decreta sub num. 13. jam non videtur praeterea probabilis sententia illorum Auctorum, quamvis plures quam quadraginta referantur a Sanchez de Matrimonio lib. 3. d. 16. num. 12. & 13. Mendo d. 10. quest. 8. Sioz num. 244. qui docent, Confessarium ex sola Confessione cognoscendum Poenitentem suum indignum esse dignitate, seu officio, ad quod concurrat, posse

ideo illi in electione gratuita, & secreta denegare suum suffragium, quia utitur, ut dicunt ipsi, Jure, quod habet ad non promovendum indignum: Sic non potest Magister Novitiorum suo suffragio rejicere, aut directe, vel indirecte cooperari, quod ab aliis rejicitur a professione Novitium, quem propter vitia, vel alios defectus ex sola Confessione novit esse ineptum, aut fore perniciosum Religioso Ordini. Item nequit Confessarius dimittere famulum, quem ex sola Confessione cognovit non esse fidelem, & hujusmodi. Item nequit Confessarius, qui ex sola Confessione novit aliquem de communitate vitio carnis deditum esse, & prout ad seducendos alios, nequidem indirecte facere, ut inde amoveatur. Item nequit Confessarius negare Eucharistiam, Matrimonium, & hujusmodi ei, quem ex sola Confessione novit esse indignum, impeditum, & hujusmodi. Item non potest Superior Religiosum, quem ex sola Confessione novit esse Concubinarium, & tali conventu, aut officio removere: Et sic de similibus. Et ratio omnium est, quia quidquid avertit incommodum poenitentis, quamvis absit periculum revelandi peccatum, & ita clam fiat, ut nemo advertat, merito reddit Confessionem odiosam si poenitentes cognoscant sibi talia incommoda fieri posse propter solam cognitionem in Confessione datam. Hinc Confessarius, vel Superior debet in similibus se talem gerere, tamquam si nihil sciret. Audita enim in sola Confessione minus scit, quam qua necit, inquit S. Augustinus, & ex Confessione scitum, est quasi nescitum, dicit S. Thom. in supplement. q. 11. a. 1. ad 2. Cum enim id sciat ut Dei locum tenens, non potest uti pro humano commercio; aliis divina confunderet cum humanis, adeoque de omnibus istis, & similibus silere debet, & totaliter se habere, ac si ea minime sciret; sique se, & omnia Deo committere, cum hoc plurimum conducatur ad reverentiam Sacramenti, & ad urgendam apud omnes securitatem sigilli; Sic Scotus in 4. dist. 21. quest. 2. lit. N. Suarez, Vasquez, & Praepos. Bonasp. Dicast. Stephanus, Aversa, Stoz, & alii cum La Croix loc. cit. num. 1976. & seq.

Unde Scotus loc. cit. de casu dicti Superioris respectu sui subditi concubinari in Confessione cogniti loquens dat hoc commendabile documentum: "Si dicitur non apponi remedium ad salutem ovis suae: Respondeo, consulat sibi in foro Poenitentiae meliori modo, quo poterit, ut illum locum sibi periculosum dimittat; si noluerit, non attendat esse Deum, sed defectus occultos sibi secundum justitiam incorrigibiles, Dei correctioni dimittat." Hinc neque licet Superiori, seu Praelato ex sola tali notitia habita in Confessione magis advertere, & observare directe ipsum poenitentem subditum, ut inde occasionem capiat ipsum ab Officio, seu loco removendi, quia sic redderet odiosa Confessio. Sporer loc. cit. num. 869. in fine, & alii supracitati.

Confessarius ordinarie loquendo neque de petita, & obtenta licentia poenitentis potest uti scientia Confessionis, & revelare ipsam Sacramentalem Confessionem, quia si poenitens non ultro, sed tantum ad petitionem Confessarii det ipsam licentiam loquendi, communiter censi debet data ex metu reverentiae; adeoque invalide; Tamburin. de Confess. l. 3. num. 5. Dicastill. d. 12. num. 66. La Croix loc. cit. c. 3. n. 1958. Vel certe cum periculo invaliditatis; La Croix loc. cit. Diana part. 5. tr. 11. resolut. 10. Stoz lib. 2. num. 197. ubi addit, quod quamvis poenitentes dicant se libenter esse dare, saepe tamen in animo refugium, & sic Sacramentum adhuc reddit odiosum, si Confessarius ea licentia utatur. Tum quia negant plerique ex antiquioribus, ac praesertim Alensis, Durandus, & alii, & ex parte Scotus in 4. dist. 20. q. 1. §. 5. & dist. 21. quest. 2. lit. L, quia Jus sigilli sacramentalis non est tantum ipsius confitentis, sed etiam totius communitatis fidelium, quae alias maxime perturbaretur, & ipsius Sacramenti, cui ipse poenitens renuntiare non potest; quia licet ipse poenitens possit eedere Juri suo, cap. Si de terra 6. de privileg. & leg. Si quis in conscribendo 26. eod. de publicis: Non potest tamen eedere Juri Sacramenti, & totius Communitatis fidelium. Si diligenti de foro comp. Di-

19 Dicitur autem notanter ordinario loquendo, quia ex gravi causa, & ob aliquem bonum finem, verb. grat. ad malum aliquod avertendum, ad consilium à Doctiori petendum & hujusmodi, de expressa, libera, & plena voluntaria licentia penitentis loquendi cum alio de suo peccato, aut alia re sua. Confessionis, potest Confessarius sine fractione sigilli caute cum eo loqui. Sic teste Sporer loc. cit. num. 819. jam Communissima Doctorum cum S. Thoma, S. Bonaventura, & pluribus congestis, Suarez disp. 31. sect. 5. Sanchez lib. 6. moral. cap. 18. Layman cap. 14. num. 14. Lugo, Tamburin. Diana, & alii passim. Tunc enim cum penitens dat expressam & liberam licentiam Confessario loquendi de peccatis in Confessione auditis, videtur cessare ratio secreti naturalis, atque reverentia Sacramenti, & odiositatis Confessionis, arg. cap. Significasti 5. de adulteriis, ubi legitur, quod de licentia mulieris Sacerdos, cum hac confessa fuit, dixerit eam sibi confessam esse adulterium, nec tamen in hoc casu vel minimum Sacerdos reprehenditur à Papa. Verum Barbosa in citata c. Significasti, num. 2. Navarrus in cap. Sacerdos 2. dist. 6. de Penitent. n. 126, & alii, censent illud capitulum loqui, non de Confessione Sacramentali, sed extra Sacramentum, tam per adulterum, quam per adulteram facta; unde in similibus est valde caute procedendum, cum non expedit, quod penitens ex qualibet levi causa det Confessario talem facultatem loquendi cum aliis de auditis in sua Confessione, nec quod Confessarius de facili ea utatur.

20 Sine expressa, & libera penitentis licentia neque licet Confessario de auditis in Confessione loqui cum ipso penitente extra Confessionem Sacramentalem. Quamvis enim id proprie non sit fractio sigilli, ut cum pluribus docet Sanchez lib. 3. de Matrimonio d. 16. omnes tamen Doctores tenent, hujusmodi locutionem cum eodem sine ejus licentia esse illicitam, quia vere cedit in odium Confessionis, & Sacramenti, & plerumque non sine rubore, & offensa penitentis: potest autem Confessarius licite loqui extra Confessionem cum penitente de auditis in sua Confessione, si ipse penitens prior de illis loqui incipiat, quia tunc censetur ipse voluntariam, & liberam ad id licentiam concedere.

21 Confessarius, qui in Confessione gravem errorem commisit, consulens verb. grat. bona fide tamquam licitum aliquem contractum, quem postea cognoscit certum esse illicitum, tenetur petere licentiam à penitente loquendi de materia Confessionis praterita: ad salutem animæ illius pertinentis; & quamvis penitens denegat talem licentiam, probabilius adhuc potest de ea re loqui, ac errorem corrigere, seu emendare. Sic Suarez disp. 31. sect. 4. num. 3. Ardeschin. tom. 2. pag. 236. num. 13. Felix Potestas loc. cit. num. 3233. Sporer loc. cit. num. 822. Diana loc. cit. res. 26. cum aliis ibi allegatis, La Croix loc. cit. num. 177. cum pluribus ibi citatis, Filluc. Fenech. & alii: Et ratio est, quia tunc Confessarius proprie non loquitur extra Confessionem, sed supplet, & perficit eam, quæ antea inchoata, & imperfecta remanserat: Tum quia in casu mali consilii nihil loquitur de Confessione praterita, sed solum consilium male datum revocat.

22 Sub sigillo Sacramentali cadunt omnia peccata, tam mortalia, quam venialia, non solum ipsius penitentis, sed etiam complicit. Item circumstantie peccatorum, & defectus naturales, ob quorum revelationem potest penitenti evenire infamia, vel aliud incommodum, & sic reddi odiosa Confessio. Tales enim peccatorum circumstantie, verb. grat. quod quis sit illegitimus, sit infamis, sit genere obscurus, & hujusmodi, à Confessario manifestari non possunt sine fractione Sacramentalis sigilli. Communis. Et ratio est, quia sigillum Sacramentale obligat ad celandum omne id, quod Confessionem odiosam reddere potest: per revelationem autem supradictam, & simillim, redditur odiosa Confessio, cum sic inferatur gravamen, & præjudicium penitentibus, adeoque &c.

23 Confessionis sigillum violat, si in genere dicat se absolvisse Paulum à peccato mortali, aut à casu reser-

vato. Item si dicat se Paulum non absolvisse, quia erat indispositus. Item si revelet aliquod peccatum veniale in specie verb. grat. mendacium; secus autem si dicat solum in genere fuisse confessum veniale, cum certum sit debere penitentem ad minus veniale peccatum confiteri, ut absolutionem obtineat. Item sigillum frangit, si revelet penitentiam pro mortali imponi solitam, verb. grat. psalmos penitentiales, rosarium B. M. V. jejunium, & hujusmodi; non frangit tamen sigillum, si revelet penitentiam pro veniali imponi solitam, verb. grat. unum Pater, & Ave, Salve Regina, Alma Redemptoris, & hujusmodi. Sic Doctores Communiter.

Confessarius se exponit periculo frangendi sigillum, si dicat: prima mulier, quam audivi in Confessione, fuit adultera; unde cavere debent Confessarii à similibus locutionibus, quia ex ipsis sæpius oriuntur gravissima scandala, & casum referunt Ludovicus Bail. in exam. Confessorum 1. part. in fine, Baptista Conrad. Respons. 1. part. quest. 332. Bissus Hierurg. t. 2. lit. S. num. 146. §. 25. Pitonius constit. Pontif. & de cir. ad Confessarios num. 345. de quodam marito, qui interfecit uxorem, quia quidam Confessarius in Italia dixerat coram quibusdam primam mulierem, cujus Confessionem exceperat, fuisse adulteram.

Confessarii violantes sigillum Confessionis Sacramentalis subjacent gravissimis penis: Et quidem in c. Sacerdos 2. dist. 6. de Penitent. imposita erant de deposito ab officio sacerdotali, & perpetua ignominiosa peregrinatio, ibi: Qui hæc fecerit (sigillum nempe violaverit) deponatur, & omnibus diebus vite sue ignominiosus peregrinando pergat: Quæ pena perpetua ignominiosus peregrinationis, ob justissimos fines fuit postea conversa in perpetuum detractionem in arcum monasterium, pena depositionis ab Officio Sacerdotali adhuc permanente; cap. Omnis utriusque sexus 12. de penitentibus, & remissionibus, ibi: "Caveat autem omnino, ne verbo, aut alio quovis modo aliquatenus, prodatur peccatorum, sed si prudenter consilio indigerit, illud absque ulla expressione personæ caute requiratur; quoniam qui peccatum in penitentiali Judicio sibi detectum præsumpsit revelare, non solum à sacerdotali officio, deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam penitentiam in arcum monasterium detrudendum.

Impresariarum autem ex recepta consuetudine detrusio in arcum monasterium mutata est in carceres perpetuo. Sic notant communiter Moderni in hac materia scribentes, & testè Rosignol. loc. cit. sect. 5. num. 7. Reiffenstuel lib. 3. Decret. tit. 37. n. 4.

Penitentia pro fractione sigilli quoad Regulares consistit in jejuniando ter in hebdomada, comedendo tantummodo panem, & bibendo aquam, humi, in publico refectorio; in cujus postea porta pronus ab exentibus Fratibus conculcetur. Sacra Cong. Episcoporum & Regularium in una Augustinianorum 5. Sept. 1659. apud Nicol. in lucubration. canon. tom. 2. lib. 5. tit. 38. num. 17. de penitent. & remission. & Pitonius loc. cit. num. 963.

Dicitur penæ impositæ contra violantes Sigillum Sacramentale, non sunt latae sententiæ, sed ferendæ; Reiffenstuel loc. cit. num. 4. Rosign. l. c. n. 6. Lugo de Penitent. disp. 23. n. 247. Fagundes de præcep. ecclesiasticis. l. 2. c. 17. num. 2. Onuphrius de Sigilli. sect. 5. q. 2. Coninch. disp. 9. num. 70. Homobonus tract. 5. Exam. ad Confessionem de Sigill. cap. 19. quest. 108. vers. Ad secundum q. & alii passim; per verba text. Quibus hæc juremodi penæ imponuntur, ut patet in cit. cap. Sacerdos ibi: Deponatur, & cit. cap. Omnis utriusque, ibi: Deponendum decernimus, & in arcum monasterium ad agendam perpetuam penitentiam detrudendum, quæ verba, ut de se patet, important solum sententiam ferendam.

Ut quis propter violationem sigilli incurrat prædictas penas, plura requiruntur. Primo quidem requiritur, quod violans sit Sacerdos, quia in cit. cap. Sacerdos, & in cap. Omnis utriusque, solis Sacerdotibus Confessariis talis pena imponi jubetur. Menochius

de Arbitr. Judic. lib. 2. cent. 5. caus. 414. Reginal. l. 5. num. 27. Coninch. disp. 9. dub. 4. ad fin. Reiffenstuel loc. cit. num. 5. Rosignol. loc. cit. num. 4. & alii passim. Cum enim talis dispositio sit penalís, & odiosa, ad alios præter expressos non est extendenda, cap. Odia 15. de Regul. Juris in 6. cum similibus.

Alii autem revelantes assignati supra à n. 7. ad 12. non subjacent præfatis penis, sed puniendi sunt per Judicem pena extraordinaria juxta majorem, vel minorem gravitatem patratæ circa id delicti. Sic Doctores citati, & alii.

Secundo requiritur, quod Confessarius revelet peccata in Confessione Sacramentali sibi à penitente exposita animo se accusandi, & absolutionem recipiendi; secus autem si essent sibi exposita, non in confessione Sacramentali cum dicto animo, sed alio fine, etiamsi flexis genibus dixisset penitens: Hoc tibi dico sub sigillo Confessionis; tunc enim Confessarius non violaret sigillum Sacramentale, sed solum sigillum naturale, adeoque &c. Felix Potestas tom. 1. num. 3207. & t. 2. num. 39. & alii communiter.

Tertio requiritur, ut Confessarius revelet aliquod peccatum, vel mortale, quod sufficit, si revelet in genere, dicendo verb. grat. Paulus confessus est mihi peccatum mortale, vel veniale; quod necesse est, ut revelet in specie, dicendo verb. grat. Paulus confessus est mihi mendacium, & hujusmodi. Suarez de penitentia disp. 53. sect. 8. Diana part. 5. tract. 11. resol. 5. Reiffenstuel loc. cit. num. 6. & alii communiter; arg. cap. Sacerdos, & c. Omnes utriusque, ubi de solis peccatis fit mentio.

Quarto requiritur, ut Confessarius revelet peccatum præsumptuose, id est, graviter malitiose; arg. cit. cap. Omnis utriusque 12. §. Caveat, de penitent. & remissionibus, ibi: Præsumpsit revelare. Reiffenstuel loc. cit. num. 7. & alii.

Quinto requiritur, ut Confessarius peccatum revelet alicui alteri, quam ipsi penitenti extra Confessionem, sive ipsi sine ipsius licentia objiciat. Objiciens autem extra Confessionem peccatum ipsi soli penitenti, non subjacet penæ ordinariæ, sed solum extraordinariæ. Grand. de Sacram. tract. 1. disp. 8. num. 3. Reiffenstuel loc. cit. num. 8. & alii.

Judex in causa violati sigilli Sacramentalis est solus Ecclesiasticus, minime vero laicus; cum enim talis causa ex annexo Sacramento sit ex natura sua spiritalis, & ecclesiastica, soli Judici ecclesiastico competere debet; cap. Decernimus 2. c. Quarto 3. de Judiciis, c. Ut Inquisitioni, & Prohibemus, de Hæres.

Cui autem talis causa competat ex Judicibus ecclesiasticis, an scilicet Episcopo, vel Inquisitori? Variant Doctores. Aliqui enim dicunt expediri, ut deferatur ad Inquisitores, cum propter injuriam Sacramenti reddatur delinquens in fide suspectus: Alii vero dicunt, quando est mera Confessionis revelatio, Inquisitores non debere se ingerere, quam praxim testatur Diana in eo Tribunali per multos annos versatus tom. 3. de offic. & potest. Inquisitor. res. 95. cum Molfesio in Summ. tom. 1. tract. 7. cap. 23. num. 68. Unde quamvis ubi mera sit Confessionis revelatio, talis causa spectet ad Episcopum: Si tamen habeat mixtum errorem, ut si Confessarius revelans dixisset licitam esse revelationem sigilli, vel aliter ostendisset se male sentire de Sacramentis Ecclesiasticis, tunc talis causa spectaret ad Inquisitorem. Card. de Lugo de Penit. disp. 23. num. 148.

Ut Judex ecclesiasticus instituere possit processum contra violatorem sigilli Sacramentalis, non requiritur licentia penitentis, cujus peccatum fuit sacrilege revelatum, arg. cit. cap. Sacerdos, & cit. cap. Omnis utriusque sexus: ubi nulla prorsus facta mentione de habenda licentia penitentis præcipitur, ut penæ ibidem statuta inferantur contra tales violatores. Sic cum aliis Stor. tribun. Penit. lib. 2. q. 4. à num. 284. Reiffenstuel loc. cit. num. 11. & alii contra Gobat in Quinario tract. 5. c. 42. sect. 7. Si enim requireretur ad id licentia penitentis, sequeretur, quod ipsi penitente mortuo, vel

reddito amente, nunquam posset puniri talis Confessarius, cum nunquam posset peti talis licentia, adeoque frustra essent statuti canones contra hujusmodi delicta reipublicæ christianæ perniciosissima, quod non est dicendum.

Quando Confessarius violator sigilli se reum fatetur, non est opus alia probatione ad hoc, ut possit puniri pena ordinaria; Communis, arg. cap. final. de cohabitatio. Clericorum, & mulierum, l. Generaliter 13. cod. de non numerata pecunia, cum nulla alia detur major probatio, quam ea, quæ fit ex proprii oris confessione. Rota part. 9. recent. tom. 1. dec. 98. num. 4. per text. in cap. Per tuos 10. de probat. l. Cum te 5. cod. de trans. & cit. l. Generaliter 13. cod. de non numerata pecunia. (Vid. leg. 2. & seq. num. 7. vers. Inter species: verb. Probatio)

Quando Confessarius dicit se peccatum, non ex aliqua Confessione Sacramentali, sed tamquam aliunde ibi notum manifestasse, incumbit ei probare, quia via, & modo illius notitiam acquisierit; arg. l. Et incumbit 2. ff. de probationibus, l. Actor 23. cod. eod. cap. Bonæ memoriæ 22. de election. cap. Accusator 6. quest. 5. cum qui dicit, probare debeat. Si autem in tali probatione deficiat, & adhuc in negatione violati sigilli perseveret, nec possit plene convinci, ex præsumptione violati sigilli puniendus est pena extraordinaria. Abbas in cit. cap. Omnes utriusque sexus 12. num. 26. de penitent. & remission. Silvester verb. Confessio 7. num. 5. Lugo loc. c. num. 151. Reiffenstuel loc. cit. num. 11. & alii.

Quando autem fatetur Confessarius se quidem peccatum ex Confessione scivisse, sed cum licentia penitentis revelasse, tenetur probare sibi revera datam fuisse à penitente talem licentiam revelandi, si penitens ipse sit accusator, seu delator, & aliis neget se talem licentiam ei dedisse. Lugo loc. cit. num. 151. Reiffenstuel loc. cit. num. 14. & alii. Et ratio est, quia cum talis licentia sit quid facti, non præsumitur (sed probari debet ab allegante); c. Cum in Jure 31. de Officio deleg. leg. In Bello 12. ff. de cap. & portlim.

Secus autem, si alius sit accusator: In tali enim casu contrarium probare incumbit ipsi alteri accusatori ob præsumptionem stantem pro Confessario, qui bonus, & sigillum servans præsumitur, donec probetur contrarium, c. unic. de Scrutinio, c. final. de præsumpt. & leg. Merito 51. ff. Pro socio.

Immo etiamsi penitens sit accusator, creditur Confessario, si sit ceteroquin optime famæ, & integritatis; secus autem si penitens sit melioris famæ, & integritatis, quam ipse Confessarius. Sic cum aliis Diana part. 1. tract. 11. resolut. 52. Reiffenstuel loc. cit. num. 16. & alii.

Si autem ceteris paribus, dubium existat, creditur potius Confessario asserenti, quam penitenti neganti licentiam fuisse concessam. Sic cum aliis Mascard. de probat. conclus. 951. num. 30. Reiffenstuel loc. cit. n. 17. & alii ex illa ratione, quod in factis, quæ ad officium Judicis spectant, & aliter fieri non possunt, pro Judice præsumantur; arg. cap. Hoc etiam 37. caus. 2. q. 6. cap. Absit 14. caus. 11. q. 3.

Ad probationem violati sigilli Sacramentalis sufficientiam etiam testes singulares. Sic cum aliis Tanner. tom. 4. disp. 6. quest. 9. num. 122. Stor. tribunal. Penitent. lib. 2. quest. 4. à num. 281. Reiffenstuel loc. cit. num. 18. & alii. Et ratio est, quia id exigit enormitas talis delicti reipublicæ christianæ summe præjudicialis: Tum quia tale delictum ordinarie difficilis est probationis, cum Sacrilegi violatores sigilli non facile sigillum violant plurimis simul præsentibus, adeoque &c. (Vid. verb. Probatio)

Quoad debitam sigilli Sacramentalis custodiam attendendæ sunt novissimæ constitutiones editæ à Benedicto XIV. adversus Confessarios exquirentes à penitentibus complicum nomina. In quarum prima data sub die 2. Junii 1746. incip. Ubi primum: Insertis, & confirmatis suis Apostolicis literis datis ad Archiepiscopos, & Episcopos Regnorum Portugallia, &

& Algarbionum subiecti excommunicationi Summo Pontifici, praequam in articulo mortis, reservatae, omnes docentes oppositum, contradicentes, ac male interpretantes dictas Apostolicas literas & decernit, Confessarios praesentes interrogare poenitentes de nomine socii, seu complices, loco habitacionis, & aliis similibus circumstantiis, & eidem poenitentibus, si manifestare voluerint, sacramentalem absolutionem denegantes, ultra peccati mortalis incursum, suspensionis ab Officio audiendarum Confessionum, aliusque gravioribus poenis fore subiectendos. Tam docentes licitam esse dictam reprobatae praxim, quam in ejusdem praxis defensionem scribentes, aut loquentes, & ejusdem reprobationem impugnantes, ac perverse interpretantes; & ipsos Confessarios contrafacientes cum suspitione pravi dogmatis, iudicari, ac puniri mandat in Officio S. Inquisitionis; cui Sancto Officio omnes scientes similes delinquentes denuntiare teneantur intra terminum dierum in ipsis edictis praefigis solum, sub poenis non denuntiantibus per eadem edicta intelligi consuetis: Confessarios autem contrafacientes sine dicta pravi dogmatis suspitione iudicandos, & puniendos esse ab Ordinariis, nec esse S. Officio denuntiandos decernit.

46 In secunda autem data sub 28. Septembris 1746. incipiente Ad eradicandum: confirmat, & ampliat suas jam ad id editas Apostolicas literas, decernens, ipsas non solum pro regni Lusitaniae, & Algarbionum, sed generalis definitionis & legis vim auctoritatemque habere, & declarans memoratam praxim in seipsis, & ubique locorum, ac temporum Apostolica Auctoritate reprobata, atque damnata esse, & censei debere: Nec ulli licitum esse contra doctrinam in praefato suo Brevis contentam docere, scribere, aut loqui, eamque impugnare, aut perverse interpretari, vel ipsi actu contraire, sub poenis adversus tales, asserentes, aut tradentes opinionones scandalosas, perniciosas, & uti tales a Sede Apostolica rejectas, & condemnatas, & respective adversus contrafacientes mandatis Apostolicis, & ecclesiasticis sanctionibus, statutis, atque praescriptis.

47 Et esse suspectum de Fide, & subiecto iudicio Inquisitionum eum, qui revelat Confessionem, & frangit sigillum, resolutum fuit a Congregatione S. Officii 4. Decembris 1603. tum 29. Januarii 1604. & demum die 17. Junii 1605.

48 Sequuta fortassis fuit Sacra Congregatio opinionem nonnullorum Doctorum tenentium, expedit hoc delictum Inquisitionibus deferri ex ratione illa, quod Confessarius redditur suspectus de fide ex injuria, quam irrogat Sacramento; D. Leon de Offic. Confessarij. tom. 1. recollect. 22. num. 12. Campanil. divers. jur. Canon. rubr. 11. cap. 32. num. 5. Trasmir de polygam. l. 3. q. 2. num. 30. in fin. & latius num. 53. alioque plurimi.

49 Sed, ut refert Albic. de Inconstant. in fid. cap. 35. n. 88. 23. Martii 1619. ab eadem Sacra Congregatione fuit resolutum, causam hanc non spectare ad S. Officium, & ita semper fuit postmodum servatum.

50 Ceterum; ut subdit idem Albic. ubi supra, & convenit Auctor. num. 36. prima opinio locum sibi vindicat quando frangens sigillum Confessionis habere aliquid errorem in intellectu, ut si diceret licitam esse revelationem sigilli, vel aliter ostenderet se male sentire de ecclesiasticis sacramentis.

51 Tum etiam procedit prima opinio, si ageretur de Confessario, qui pluries sigillum Confessionis fregit, idque quia ex hisce iteratis actibus insurget saltem levis aliqua suspicio haeresis; Albic. citato loco.

52 Et demum amplectenda est prima opinio, si Confessarius frangens sigillum Confessionis esset homo male famae, & alias de haeresi suspectus; Albic. eod. loco.

53 An propter delictum haeresis licita sit revelatio Confessionis, tum an alius ex causis possit aliquando esse licita revelatio Confessionis; Vide apud Albic. loco pluries allegato.

SIMONIA.

ARTICULUS I.

SUMMARIUM.

- Simoniam quoad ea, quae concernunt ejus originem, naturam, divisionem, materiam, & pretium.
- 1 Simonia unde sit dicta, & originem traxerit.
 - 2 Simonia quid sit.
 - 3 Simonia ex sua natura est peccatum mortale sacrilegii gravissimum.
 - 4 Simonia dividitur in simoniam juris divini, seu naturalis, & in simoniam juris humani, seu ecclesiastici.
 - 5 Simonia juris divini, seu naturalis quae sit.
 - 6 Simonia juris humani, seu ecclesiastici quae sit.
 - 7 Utraque dicta simonia dividitur in mentalem, conventionalem, & realem.
 - 8 Simonia mentalis quae sit.
 - 9 Haec simonia mentalis, quamvis sit grave peccatum, nullam tamen inducit poenam canonicam.
 - 10 Simonia conventionalis quae sit.
 - 11 Et haec simonia conventionalis nullam adhuc inducit poenam canonicam.
 - 12 Simonia conventionalis alia vocatur pure conventionalis, & alia mixta, & quae sit utraque.
 - 13 Simonia realis quae sit.
 - 14 Ultra praedictas, alia additur species simoniae confessionalis, & quae sit.
 - 15 Affertur ad id Constitutio S. Pii V.
 - 16 Materia Simoniae est res spiritalis, seu spiritali annexa.
 - 17 Per rem spirituales quid intelligatur, ad n. 18.
 - 19 Per rem spiritali annexam quid intelligatur, & veniat, ad n. 20.
 - 21 Pretium simoniae juris divini est omnis, & sola res temporalis.
 - 22 Pretium vero Simoniae juris ecclesiastici potest esse etiam aliquid spirituale.
 - 23 Extra materiam beneficiorum nunquam committitur simonia etiamsi propria auctoritate, detur spiritali pro spiritali.
 - 24 Pretium simoniae in Jure vocari solet, Manus, & quid importet.
 - 25 Pretium, seu manus simoniae dividitur in manus a manu, manus ab obsequio, & manus a lingua.
 - 26 Per manus a manu quid intelligatur.
 - 27 Per manus ab obsequio quid intelligatur.
 - 28 Per manus a lingua quid intelligatur.
 - 29 Ad simoniam requiritur pactum aliquod expressum, vel tacitum saltem ex una parte inebitatum.
 - 30 Non requiritur tamen necessario pactum expressum, sed sufficit pactum tacitum, seu implicitum saltem ex una parte inebitatum.
 - 31 Pactum, etiamsi solum obliget ex benevolentia, gratitudine, ac fidelitate, & non ex iustitia, adhuc continet simoniam.
 - 32 Qui dat aliquid temporale tanquam motum alicujus spiritalis sibi recipere damni, committit simoniam, quam etiam committit recipiens tale temporale, si per hoc motus illi conferat aliquid spirituale, quamvis nullum aliud pactum, nec implicitum quidem interveniat.
 - 33 Non est simonia dare, seu prestare temporale sub spe consequendi spirituale, si spirituale non principali, & primario, sed solum secundario, & minus principali, intendatur: Sacus autem si spirituale intendatur principali, & primario. In die patet quid de Clerico famulatum praestante Episcopo ob consequendum beneficium.
 - 34 Dato ex gratitudine temporali pro spiritali, jam accepto, vel ex gratia, est simonia, si fiat, ut patet.

aut contractus taciti, vel expressi; secus autem, si ex mera gratitudine sine ullo precedenti pacto id fiat.

35 Dantur tamen multa spiritalia, ob quae quamvis jam recepta, non licet etiam mere gratis oblata acceptare ob specialem Juris prohibitionem.

36 Simoniam committit, qui temporale promittit, dat, vel prestat alteri hac sola, seu principali intentione, ut apud Episcopum, seu Praesentorem, vel Patronum interscedat, riget, vel ipsum efficaciter commendet in ordine ad obtinendum beneficium ecclesiasticum.

37 Simoniam committit, qui certat, seu spondet cum Episcopo, seu Collatore beneficij pro mille aureis, quod ipse beneficium non sibi, sed alteri sit collaturus.

38 Conferens beneficium pecunia interveniente, si arbitrium vendat, ipsum beneficium vendit simoniace.

39 Non est simonia conferre alicui beneficium ecclesiasticum interdu consanguinitatis, affinitatis, seu amicitiae spiritalis.

40 Non est simonia conferre beneficium propter preces arnatas, sive gratiam metum incusum: Dummodo tamen nullum interveniat pactum; secus autem, si intervenierit pactum.

41 Non est simonia, si quis det pecuniam Infideli, ut recipiat Baptismum, hereticum, seu peccatori, ut convertatur; Jureni, ut fiat Clericus, doctem puelle, ut fiat Monialis, & hujusmodi.

42 Alia ad rem, remissive.

43 Addit. ex Audi. & ex aliena manu, ad num. 48.

1 SIMONIA dicta est, & originem traxit a Simone Maggo; (Leg. 1. tit. 17. part. 1.) Licet enim jam a pluribus ante ipsum Simonem Magum vitium istud commissum fuisset, ut a Balaam pretio conducto per Balac Regem, ut malediceret populo Israel, sicuti habetur Num. c. 22. a Giezi famulo Elisei Prophetae (Leg. 2. ejusd. tit. c. 2.) ut habetur 4. Reg. cap. 5. a Jasone, qui pro Sacerdotio multa talenta Regi Antiocho obtulit, ut patet 2. Machab. cap. 5. & a Juda Iniquo Mercatore, qui triginta argenteis vendidit Infinitum bonum Christum Redemptorem nostrum; cap. Qui studet 11. ca. 1. q. 1. Attamen non ab istis, sed a Simone Mago vitium istud nomen desumpsit. Cum enim hic vidisset, quod per manum impositionem ab Apostolis daretur Spiritus Sanctus, talem mirabilem virtutem, remque maxime spirituales villi pecuniarum pretio emere praesumebat, ut expresse habetur Act. 8. ubi: Obtulit eis pecuniam dicens: Date & mihi hanc potestatem, ut cuiuscumque imponerem manus, accipiat Spiritum Sanctum: Cujus execrabilem malitiam illico increpans S. Petrus dixit ad eum; pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam Donum Dei existimasti pecunia perdidisti: Perdidit enim ille execrabili avaritia repletus intendebat pecunia virtutem illam consequi, ut eandem cum questu, & majori temporali lucro exercere videret, ut expresse habetur in cap. Salvator 8. caus. 1. q. 3. ubi: Simon Magus, qui ad fidem fide accessit, non Spiritum Sanctum propter Spiritum Sanctum, quo ipse erat indignus, (quoniam, ut scriptum est, Spiritus Sanctus discipline effugiet filium) sed in eo, quantum in ipso erat, emere voluit, ut ex venditione signorum, quae per eundem fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur. (Vid. eam. Leg. 1.)

2 Simonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spiritali annexum, pro re temporali ut pretio: Est in re Communis. Quamvis tamen alii clarior cum Suarez tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. c. 1. eam definiant sic. "Simoniam est sacrilegium, quo per emptionem, & venditionem, vel similem contractum, res spiritalis, ut talis, pro temporali commutatur." Sic enim comprehenditur omnis contractus etiam innominatus: Do ut Des, Do ut facias &c.

3 Simonia ex sua natura est peccatum mortale sacrilegii gravissimum. Communis. Et quod sit sacrilegium, habetur expresse ex c. Audivimus 1. caus. 1. q. 3. Per eam enim indignae, ac irreverenter tractantur res sa-

erae, seu spirituales, quod semper est sacrilegium quod autem sit peccatum mortale gravissimum clare habetur ex Act. 8. ubi Sanctus Petrus in Simonem Magum cum aeternae perditionis comminatione graviter invehendo dicit: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam Donum Dei existimasti pecunia perdidisti. (leg. sup. 1.) Unde Urbanus II. in cap. Salvator 8. caus. 1. quest. 3. ait: Nec Apostolus emptionem Spiritus Sancti, quam bene fieri non posse noverat, sed ambitio-nem questus talis, & avaritiam, quae est Idolorum servitus, exhorruit & tum maledictionis jaculo percussit. Item quod sit gravissimum peccatum, colligitur ex pluribus sacris canonibus, & signanter ex c. Quisquis ut caus. 1. q. 1. ubi simonia vocatur picularis flagitium, cap. Reperitur 7. caus. & q. eadem, ubi appellatur execrabile flagitium, cap. Eos qui 21. caus. & q. ead. ubi Simoniaci Juda comparantur proditori, qui Judaeis Dei occisoribus Christum vendidit, c. Patet 27. caus. 1. q. 7. ubi Paschalis Papa gravissimum hujus vitii malitiam, & pravitate paucis exprimerem voluit expressisse. Omnia crimina ad comparationem simoniace haeresis quasi pro nihilo reputantur, & sic ex plurimis similibus.

Simoniam dividitur in simoniam juris divini, seu naturalis, & in simoniam juris humani, seu ecclesiastici. Sic Glossa communiter recepta in cap. Ex parte 12. verb. Dimittere, de Offic. Delegat. & Canonista Communitur. Simoniam juris divini, & naturalis, est quae prohibetur, quia mala, & repugnans Juri naturali ac divino, ut pro re temporali dare vel promittere rem vere spirituales, aut annexam spiritali, verb. grat. hostiam consecratam, sacramenta, reliquias, calicem consecratum, ut consecratum, & hujusmodi. Et dicitur Simoniam juris divini & naturalis, quia natura ipsa, seu lumen naturale dicitur, nimis indecens malum, & rei sacrae injuriosum esse res vere spirituales a sola liberali Dei manu dependentes, & omnia temporalia sine comparatione superantes; non ut tales tractare, sed rebus temporalibus aequiparare, & hominum arbitrio, & aestimationi subicere. Simoniam juris humani, seu ecclesiastici, est quae mala est, quia prohibita solo Jure humano, seu ecclesiastico, & non ex natura rei, seu Jure divino; & committitur, quando non quidem tempore temporale pro spiritali, aut e contra, sed spiritali pro spiritali, vel temporale pro temporali contra legem tamen ecclesiasticam ex motivo Religionis postitam poenis simoniae Juris divini ob periculum, & speciem ejusdem simoniae: Et dicitur juris humani, seu ecclesiastici, quia ortum habet a sola lege humana, seu ecclesiastica: Et talis simonia juris humani seu ecclesiastici committitur in omni permutatione beneficiorum facta sine auctoritate Superioris, quia licet per talem permutationem contractum non detur temporale pro spiritali, sed dumtaxat spirituale, pro spiritali; nihilominus quia tamquam simoniace, & sub poenis simoniae prohibuitur, est, ne id propria auctoritate fiat, c. Quasium 5. c. Cum olim 7. de rerum permutat. labem simoniae ecclesiasticae continet. Item simonia Juris humani, seu ecclesiastici committitur, quando venduntur res, quae revera tantum sunt temporales, ut cum venditur materia rei spiritalis, quae secundum se est pretio aestimabilis, verb. grat. Sacrum oleum, vel Chrisma, quod prohibuitur est solo Jure Ecclesiastico, cap. Non satis 8. de simonia: Vel cum venduntur quaedam officia temporalia ordinata ad temporalium rerum ecclesiae administrationem, ut Officium Thesaurarii, & Economis, Sacristae, & hujusmodi; quamvis enim hac officia sint quae mere temporale, & consequenter in eorum venditionem detur solummodo temporale pro temporali, tamen quia ex quo talia officia ab ecclesiastica potestate, & jurisdictione Praelatorum a Christo data insistantur, ecclesia id tamquam Simoniace prohibuit, cap. Si quis Episcopus 8. caus. 1. q. 1. c. Salvator 8. caus. 1. q. 3. c. Consulere 38. de simonia, cum similibus, venditio hujusmodi labi, & poenis simoniae subjacet. Sic in re Doctores communiter. (Ex praedicta leg. 1. omnia comprobantur.)

Utraque dicta simonia, tam Juris divini, seu naturalis quam Juris humani, seu ecclesiastici dividitur